

bus Sacramentariis et liturgiis reperitur. 3° Græci semper hic nominaverunt imperatorem : pleræque Latinæ ecclesiæ, ex apostolica traditione, nominant regem cui subji- ciuntur; volebat enim B. Paulus, I Tim. II, ut fierent orationes *pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt*. Verba *pro rege nostro N.* reperiuntur in Sacramentario S. Greg.; suppressa sunt in Missali Romano, edito Romæ sub Pio V, anno 1570, et sub Clemente VIII, anno 1604, forte quia ecclesiæ status ecclesiastici regi a papa diverso non subji- ciuntur : reperiuntur vero in eodem Missali ad usum ecclesiarum Galliæ et Hispaniæ impresso. *Romsée* testatur, t. 4, nomen regis exprimi in Hispaniis ex conces- sione S. Pii V, et in Galliis ex inveterata consuetudine. Extra hos casus, nomen alterius personæ, cujuscumque gradus aut dignitatis, hic absque indulto pontificio expri- mere non licet.

33° *Memento* (pro vivis). In ea oratione, post verba *famulorum famularumque tuarum*, nomina eorum pro qui- bus specialiter orandum erat, alta voce legebantur a sacer- dote in missa privata, et a diacono vel subdiacono in missa solemni, juxta P. Martène, t. 1. Hic usus adhuc vigeat in undecimo sæculo, ut colligi potest ex Micro- logo, cap. 13; sed paulo post totaliter fuit exstinctus, propter abusus : plures enim dona offerebant ex vanitate, ut nomina eorum publice legerentur; et qui non nomi- nabantur, id ægre ferebant. Ideo præscripsit Ecclesia ut commendatio fieret secreto; ne necesse quidem est ut nomi- na voce articulata exprimantur, et vocibus, *qui tibi offerunt*, quæ solæ dicebantur, additæ sunt voces, *pro quibus tibi offerimus, vel*, etc. Particula *vel* est conjunc- tiva pro *et*, non vero disjunctiva.

34° *Diptycha*. Hoc verbum a vocibus græcis *δις*, *bis*, et *πτυχῶν*, *plica*, veniens, significabat tabellam bis plicatam, ita ut tres columnas exhiberet lectori: In prima, scripta erant nomina episcoporum qui eam ecclesiam rexerant et sanctis moribus claruerant; in secunda, nomina persona- rum adhuc viventium, dignitate vel beneficiis ecclesiæ collatis conspicuarum, nempe Romani pontificis, proprii

antistitis, principis, magistratum, eorum qui oblationibus ad sacrificium concurrebant, et quandoque conciliorum generalium; in tertia, nomina eorum qui in fide catholica decesserant. Prima columna dicebatur diptychum sancto- rum; secunda, diptychum viventium, et tertia diptychum mortuorum. Omnia hæc nomina publice legebantur, et idcirco oratio *Memento* vocabatur oratio super diptycha.

Qui in diptycho sanctorum intra missæ Canonem le- gendo inscripti erant, dicebantur canonizati : hinc nomen Canonizationis adhuc existens pro alicujus in fastis sanc- torum inscriptione.

Quædam veterum diptychorum vestigia in Canone nos- tro remanent, ut notat *Romsée*, t. 4; in *Memento* quippe vivorum litteræ N. et N. locum tenent nominum quæ olim alta voce legebantur, et quæ nunc vel secreto vel sola mente referuntur. In orationibus *Communicantes* et *Nobis quoque peccatoribus*, est imago diptychi sanctorum, et *Memento* defunctorum supplet tabellam in qua scripta erant nomina mortuorum. Litteræ N. et N. nunc inutiles, cum negligantur, et oratio pro mortuis fiat tantum post verba *in somno pacis*, sunt testimonium antiquitatis.

35° *Communicantes*. Hæc oratio inscribitur *infra Actio- nem*, quia intra Canonem, qui est actio sacrificii, dicitur : vox *Communicantes* exprimit communionem, seu unionem communem cum sanctis in cælo regnantibus, quorum memoria veneratur, et simul cum fidelibus in terra vi- ventibus. Nominantur B. Virgo Maria, duodecim Apostoli et duodecim Martyres; nulli vero confessores : unde concluditur hanc Canonis partem, quæ integra est apud S. Greg., scriptam fuisse antequam alii sancti Albo sanc- torum solemniter adscriberentur.

In Ecclesia tum Græca tum Latina, mos olim fuit ut sanctus cujus agebatur festum hic nominaretur : hæc institutio tribuitur Gregorio III. In nonnullis veteribus Sacramentariis, post nomina SS. Cosmæ et Damiani, in- veniuntur nomina quorundam aliorum sanctorum, v. g., SS. Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Benedicti, Isidori.

In Missali Romano speciales sunt *Communicantes* pro feria quinta in Cœna Domini, et pro quinque solemnioribus festis, nempe Nativitate Domini, Epiphania, Pascha, Ascensione et Pentecoste.

36° *Hanc igitur*. Ante decimum quintum sæculum celebrans, hanc dicendo orationem, manus extensas habere pergebat: nunc vero, a trecentis circiter annis, eas super oblata tenet expensas, sicut veteris Legis sacerdotes illas super victimam ponebant, ad proprias vel alienas iniquitates in eam transferendas. Hæc oratio est in Sacramentario S. Greg. et in aliis veteribus.

37° *Quam oblationem*. Hæc oratio reperitur in Sacramentariis S. Greg., S. Gelasii et in aliis, cum paucis variationibus circa cruces. De illa nihil ultra dicemus, neque de verbis consecrationis, quia in prima parte hujus Tractatus, ubi de forma Eucharistiæ, de illis sufficienter egimus.

38° *Elevatio hostiæ et calicis*. In omnibus liturgiis mos semper fuit corpus et sanguinem Domini post consecrationem adorare, sed idem non semper fuit modus. Usque ad sæculum undecimum omnes ab initio Canonis inclinabant se, supremam adorantes majestatem; sic perseverabant usque post Orationem Dominicam: tunc aliquantula fiebat elevatio hostiæ cum calice, sicut hodie, dicendo, *Omnis honor et gloria, vel Per omnia sæcula sæculorum*, ut habetur in Micrologo, cap. 4.

In undecimo sæculo, quando insurrexerunt Berengarii, incepit consuetudo quæ postea formata est in Gallia, in Germania et Romæ, hostiam et calicem, post consecrationem, separatim elevandi, et tintinnabulum ter pulsandi, ut omnes, vel genuflexi, vel facie in terram prostrati usque ad *Pater*, sacras species adorarent. Nihilominus calix et hostia, ante *Pater*, ad verba *Omnis honor et gloria*, paulatim elevantur, et tintinnabulum denuo agitur, ut iterum adorentur: est parva elevatio.

Apud Græcos immediate ante communionem elevatur hostia ut adoretur; diaconus clamat, *Attendamus*, et celebrans respondet, *Sancta sanctis*. Sic populus ut ad sacram synaxim cum debita reverentia accedat monetur.

39° *Unde et memores*. Carthusiani, Carmelitæ et Dominicani hanc orationem dicunt manibus seu brachiis in forma crucis extensis, ut memoriam passionis Christi verius expriment: id olim in pluribus Galliæ ecclesiis similiter fiebat, et nunc fit Lugduni, Senonibus, etc. Ille ritus Romæ non fuit acceptus.

40° *Supra quæ propitio*. Hæc oratio est antiquissima, cum non tantum, sicut præcedens et sequens, in Sacramentario S. Gregorii inveniantur, sed in liturgiis SS. Petri et Basilii, quoad substantiam: attamen ultima verba, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, tribuuntur S. Leoni, in quinto sæculo sedem Apostolicam tenenti.

41° *Supplices*. In ordine Romano XIV, Museo Italico, præscribitur ut celebrans hanc dicendo orationem se inclinet et habeat brachia in modum crucis posita, ita quod dextrum brachium sit supra sinistrum, ut in multis Missalibus antiquis legitur: quidam regulares, nempe Carmelitæ et Prædicatores seu Dominicani, sic agunt. Verum, his exceptis, omnes, manibus junctis et in altare positis, profunde se inclinant, dicentes: *Supplices te rogamus*, etc.

42° *Memento pro defunctis*. In ea oratione, ut jam monuimus, loco litterarum N. et N. nominabantur mortui pro quibus specialiter orandum erat. Antiquissima est praxis Ecclesiæ sacrificium missæ pro animabus defunctorum offerendi et eas commendandi, ut constat exemplis a nobis superius allatis. Nunc mortui pro quibus missæ sacrificium offertur nominari non solent, et litteræ N. et N. in nonnullis Missalibus supprimuntur.

Apud quosdam Orientales, nempe Syros, Maronitas, Æthiopes et Alexandrinos, B. Virgo Maria nominatur in *Memento* defunctorum, ex errore; quia hi populi, licet Virginem Mariam sanctam putent eamque invocent, persuasum habent eam cum animabus sanctorum in paradiso terrestri usque ad diem resurrectionis detineri: orant igitur pro futura ejus glorificatione. Sic pariter SS. Hilarius, Martinus et Athanasius in Missali Mozarabico commendantur, non ut a pœnis purgatorii libe-

rentur, sed ut quoddam gloriæ accidentalis augmentum obtineant, vel ad gratias Deo pro beneficiis eis collatis agendas; Card. Bona, l. 2, cap. 14, n. 4.

43° *Nobis quoque peccatoribus.* Post defunctorum commendationem, conveniens est ut celebrans pro se et pro aliis viventibus deprecetur; se aliosque peccatores esse confitetur, pectus in signum doloris sicut Publicanus tundit, et vocem elevat, ut adstantes ad dolorem et tusionem pectoris excitet. Micrologus dicit, cap. 17, ad prædicta verba vocem esse elevandam, et Innocentius III, l. 5 Mysteriorum missæ, docet pectus esse tundendum, ad repræsentandam contritionem et confessionem latronis in cruce.

Verba, *Per quem hæc omnia creas*, etc., canonem missæ terminant: hic ex antiquis Missalibus et liturgiis, ut probat Card. Bona, l. 2, cap. 14, n. 5, celebrans novos fructus et alia quælibet usibus humanis destinata, v. g., legumina, mel, lac, carnes, poma, uvas, etc., benedicere consueverat, et formam benedictionis clausula solita terminans, *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, addebat *per quem*, etc.

Hic feria V in Cœna Domini oleum infirmorum episcopus benedicit, et Papa agnum paschalem.

44° *Oratio Dominica.* In omnibus liturgiis, etiam vetustissimis, Orientalibus et Occidentalibus, semper dicta est Oratio Dominica ante communionem: unde merito concluditur hanc praxim institutionis esse Apostolicæ. Brevis præfatio, ad excitandam celebrantis et fidelium attentionem idonea, Orationem Dominicam antecedit.

Olim pluribus in locis, et nunc etiam apud Græcos, populus Orationem Dominicam sicut Symbolum fidei canebat; mos semper fuit Romæ ut solus celebrans prædictam orationem diceret vel cantaret: sed populus ultimam pronuntiabat petitionem: ideo nunc minister vel cantores dicunt alta voce, *Sed libera nos a malo*, et sacerdos secreto respondet *Amen*.

Interea patena a subdiacono, deinde a diacono elevata, populo ostenditur, ut qui communicandi sunt, se præpa-

rent et accedant. In Ecclesia Romana et in pluribus aliis, v. g., in Senonensi, in Claromontana, etc., hæc ceremonia omittitur ut pote nunc inutilis.

45° *Libera nos, quæsumus.* In quibusdam antiquissimis Sacramentariis sacerdos, post Orationem Dominicam, non respondet *Amen*, sed immediate dicit, *Libera nos*, etc.; sumpta patena vel a diacono accepta, eam subtus hostiam ponit. Post invocationem S. Andreae, invenitur S. Stephanus in Sacramentario S. Gregorii, et P. Menard, n. 87, asserit olim licuisse sacerdoti quoslibet sanctos, pro sua devotione, hic addere, quod certe nunc illicitum est.

46° *Fractio hostiæ.* Ritus frangendi et dividendi hostiam tam antiquus est quam ipsum sacrificium: Christus fregit panem, et in fractione panis, post suam resurrectionem, duobus discipulis se manifestavit; Apostoli erant perseverantes in orationibus et fractione panis. Successores eorum idem fecerunt et mos ille nunquam desiit. Hæc autem divisio hostiæ cultro aliove instrumento nunquam peracta est, sed more Christi et Apostolorum per fractionem manibus factam.

Hostia apud Græcos in novem rumpebatur partes, in memoriam Christi et sanctorum; in ritu Mozarabico etiam in novem, in memoriam novem mysteriorum Christi. Nunc Græci eam in quatuor dividunt partes, ut videre est apud Goar: una pars immittitur in calicem; secundam sumit celebrans, tertiam dividit in communionem populi, et quartam pro infirmis reservat.

Ex Micrologo, cap. 17, hostia in tres dividenda erat partes, quarum una immittebatur in calicem, alia ad communionem celebrantis inserviebat, et tertia in communionem populi et infirmorum subdividenda erat. Ad memoriam veteris hujus consuetudinis, in consecratione episcopi, consecrans unam partem hostiæ a se consecratæ immittit in calicem, secundam sumit et tertiam episcopo consecrato tribuit.

Quo tempore autem celebrans totam hostiam sibi reservare inceperit non constat: morem veterem adhuc vi-

guisse in undecimo sæculo colligitur ex Micrologo. Verum ab illo tempore, sacerdotibus et missis privatis admodum multiplicatis, usus de hostia celebrantis communicandi penitus cessavit; et Durandus, in decimo tertio sæculo scribens, loquitur de more nostro communicandi in missa tanquam in omni Ecclesia Latina recepto; *Rationale div. off.*, l. 4, cap. 51, n. 1 et seq.

Pro fidelium et infirmorum communione minores formulæ consecrantur et in ciborio reservantur: in casu necessitatis, nihil vetat quominus pars hostiæ sacerdoti destinatæ ad dandum viaticum periclitanti reservetur.

47^o *Commixtio specierum.* Ex constitutionibus summorum Pontificum Melchiadis, Siricii et Innocentii I, apud *Constant*, patet antiquum exstitisse usum ut Papa et alii Italiæ episcopi aliquas portiones hostiæ a se consecratæ singulis diebus dominicis ad presbyteros titulares sibi subjectos in signum unionis mitterent. Papa et episcopi, ante quartum sæculum, hujusmodi sacras particulas ab ecclesiis remotis accipiebant. Sanctissimæ illæ portiones dicebantur *fermentum*, quia velut fermentum unionis et charitatis inter Papam, episcopos et presbyteros habebantur, et manifesta demonstratio idem ubique offerri sacrificium. Quandoque particula ab ipso celebrante in futurum sacrificium reservabatur, ut in *Ordine Romano* I, n^o 18, supponitur.

Qui sanctam habebant particulam, eam reverenter in capsula reservatam, super altare die Dominica ante sacrificium depositam, adorabant in initio missæ, et, in fine orationis *Libera nos*, eam in calicem commiscebant, dicentes: *Pax Domini*, etc. Venerabili illa consuetudine abolita, nihilominus permansit usus particulam hostiæ in calicem immittendi, dicendo: *Pax Domini*, etc.

Adduntur verba, *Hæc commixtio*, etc., quæ in antiquis Ordinibus Romanis, in Amalario et in Micrologo reperiuntur; desunt vero in pluribus Sacramentariis et Missalibus, v. g., in Sacramentario S. Greg.

48^o *Agnus Dei.* Illa oratio, sine *Miserere nobis*, reperitur in Sacramentario S. Greg.: seu doctissimus *Mabilton*,

Comment. in *Ordine Romano*, pag. 55, arbitratur illam fortasse a solis cantoribus dictam fuisse. Fertur Sergium I, anno 687, statuisse ut a clero et populo ter diceretur, et in fine adderetur, *Miserere nobis*. Ad hæc verba pectus in signum compunctionis tundebar. Verba *Dona nobis pacem*, non nisi in duodecimo sæculo verbis *Miserere nobis*, pro ultima vice, substitui cœperunt. Hinc provenit mos pectus tundendi etiam dicendo, *Dona nobis pacem*, ex veteri usu. In missis defunctorum dicitur. *Dona eis requiem*, et pectus non tunditur.

49^o *Oratio pro pace et osculum pacis.* Dicto *Agnus Dei*, celebrans dicit orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis*, qua postulat pacem Christi pro tota Ecclesia. Hæc oratio in *Ordine Romano* non exstebat tempore quo scriptus est Micrologus, circa annum 1090; sed in missa Illyrici et in Sacramentario Trevirensi decimi sæculi reperitur, non vero in antiquioribus Missalibus.

Finita oratione, sacerdos accepta pace Christi per osculum altaris eam dat diacono, diaconus subdiacono, et subdiaconus cæteris. Christus post resurrectionem suam discipulos salutavit, dicendo eis: *Pax vobis*; alibi dixerat: *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis*. B. Paulus hortabatur fideles ut se invicem salutarent, *in osculo sancto*, I Cor. xvi, 20. Hinc in signum mutæ sanctæque charitatis mos invaluit ut fideles in fine missæ, ante communionem, se invicem modeste oscularentur, viri viros, sicut fratres, et femine feminas, sicut sorores; et ob hanc causam præcipue uterque sexus erat separatus, viri in una parte ecclesiæ et femine in altera parte. Ille usus adhuc vigeat in duodecimo et decimo tertio sæculo: de eo quippe loquuntur Innocentius III, anno 1198 electus, et Durandus, l. 4, cap. 53, n. 9, ubi dicit: « Viri et mulieres non sibi invicem osculum in ecclesia porrigunt, ne forte aliquid lasciviæ subrepat... propter quod situ sequestrantur locali. »

In cunctis ecclesiis usum Missalis Romani habentibus pax semper datur per osculum, etc. Si insignes quidam

adsint laici in choro, ut principes, magistratus, etc., pax eis præstanda est cum instrumento. Sacra rituum Cong. die 22 aprilis 1690.

In aliis vero ecclesiis a sæculo decimo tertio grassari cœpit consuetudo instrumentum ad dandam pacem adhibendi et solis in choro assistentibus præsentandi. Imo nunc instrumentum pacis solis præsentatur in choro assistentibus.

Osculum olim per applicationem oris ad os dabatur: in Missali enim Gothico-gallicano, a P. Mabillon edito, petitur a Deo, ut osculum quod in labiis datur, cordibus non negetur: nunc vero præscribitur ut dans et recipiens pacem genas sinistras ad invicem admoveant, se leviter tangentes physice, juxta Merati et Cavalieri, vel saltem moraliter quod sufficiens æstimat Romsée.

In missa ordinationis pax per osculum hodie, sicut olim, datur.

In multis Galliarum ecclesiis celebrans recipiebat pacem Christi, non ab altari, ut hodie, sed ab ipsa hostia, quam deosculabatur: sic habent Durandus, l. 4, cap. 53, n. 1, et multa Missalia a decimo tertio usque ad decimum septimum sæculum. P. Le Brun.

Diu, saltem in pluribus ecclesiis, pax dabatur ad hæc verba: *Pax Domini sit semper vobiscum.*

Cum illa cæremonia sit testimonium vinculi pacis inter fideles, omittitur in missis defunctorum sicut et præcedens oratio.

50° *Orationes ante communionem.* Statim post osculum pacis sacra distribuebatur communio; sed pietas quorundam sacerdotum plures induxit orationes devotas, quæ essent quasi immediata ad communionem præparatio: abhinc 700 vel 800 annis Ecclesia duas elegit, et ab omnibus dicendas serius præcepit. Ambæ inveniuntur in missa Illyrici; prima tantum in Missali Romano anni 1158, et in liturgia Carthusianorum ac Dominicanorum: eam solam suo tempore recitari testatur Micrologus, cap. 18; sed Durandus, l. 4, cap. 53, n. 8, supponit tres suo

tempore dici consuevisse orationes quas hodie habemus. Unde concluditur eas in ritu Romano insertas fuisse versus decimum tertium sæculum.

51° *Communio celebrantis.* Sacerdos, hostiam accipiens, dicit *Panem cœlestem*: in missa Illyrici et in multis antiquis Missalibus alia sunt verba præsentiam realem manifeste exprimentia, quibus subjungebatur sequens salutatio: *Ave in ævum, sanctissima caro, mea in perpetuum summa dulcedo.*

Oratio *Domine, non sum dignus*, ter repetita, licet actioni faciendæ optime congruens et apud Origenem, Homil. 5 in Evang. memorata, non invenitur in Ordinibus Romanis sæculo decimo quarto anterioribus, nec illius mentionem facit Micrologus; sed de illa tanquam consueta loquitur Durandus, l. 4, cap. 54, n. 10 et 11.

Parvæ orationes, *Panem cœlestem* et *Quid retribuam*, in missa Illyrici leguntur. Duæ aliæ, *Corpus Domini nostri* et *Sanguis Domini nostri*, ibidem inveniuntur quoad substantiam, non vero in antiquis Ordinibus Romanis. Eas supponit usitatas Durandus, exceptis verbis, *Sanguis Domini.*

Quoad modum communicandi, si multi essent communicaturi, plures consecrabantur hostiæ; secus, omnes ex hostia celebrantis communicabant, in ordine sequenti, juxta Const. Apost., l. 8, cap. 1, presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores, monachi, diaconissæ, virgines, viduæ, pueri et omnis populus. « Presbyteri et diaconi, » osculando episcopum, corpus Christi ab eo manibus » accipiant: subdiaconi autem osculando manum episcopi, ore accipiant corpus Christi ab eo. » Sunt verba Ordinis Romani VI, apud Mabillon, n. 12.

In communionem sub specie vini, episcopi portionem vini consecrati sumentes, particulam cum reliquo vini consecrati relinquebant in calice pro diacono et subdiacono, quem ritum pontifex Romanus in missa solemnè adhuc sequitur: diaconus sanguinem eadem parte calicis sumebat, et subdiaconus ope fistulæ. Eodem modo cæteri pretiosum sanguinem pluribus in locis sumebant, fistula

in calice usque ad finem communionis remanente, quæ postea dabatur diacono purificanda; Ord. Rom. VI, n. 13.

Notandum fideles olim consuevisse, ante corporis Christi susceptionem, dicente sacerdote: *Corpus Domini nostri*, etc., respondere *Amen*, ut testatur S. Aug. variis in locis, v. g., Sermone 272, 1 part.: *Audis Corpus Christi, et respondes Amen*, et, dicente diacono, sanguinem præbente: *Sanguis Christi, calæ vitæ*, similiter assentire, dicendo *Amen*, id est, verum arbitror. Quanto autem tempore ille ritus perseveravit, non constat: probabile aestimatur illum desiisse in duodecimo vel decimo tertio sæculo, quando cessavit usus communionem fidelibus sub utraque specie dandi.

52^o *Ablutiones*. Usque ad decimum tertium sæculum, ablutiones post communionem non erant determinatæ ut fiunt hodie: sacerdos simpliciter manus lavabat et aqua lotionis in sacram piscinam mittebatur: sic omnes antiqui liturgistæ, et Innocentius III, nondum summus Pontifex, in Tractatu Mysteriorum, in fine duodecimi sæculi scribens. Sed idem Innocentius, factus summus Pontifex, anno 1212, ad episcopum Magalonensem, nunc Montepessulanum, respondens, præscribit ut celebrans ablutionem calicis cum vino semper agat, eamque sumere non omittat, nisi secundam missam eadem die celebrare debeat. De duplici ablutione cum vino loquitur S. Th., 3 part., q. 83, art. 5, ad 10. In concilio Coloniensi, anno 1280, præscripta est purificatio cum vino et aqua: ex eo tempore ritus duplicis ablutionis, unius cum vino, ad purificandum os et calicem, et alterius cum vino et aqua, ad abluendos digitos, factus est communis.

Oratio, *Quod ore sumpsimus*, reperitur in Missali Gothorum ante Carolum Magnum existente, in missa Illyrici; indicatur in Ordine Romano IV, et Micrologus notat eam, ex Ordine Romano, dicendam esse secreto; est igitur antiquissima, sicut et posterior, *Corpus tuum*, quæ in missa Gothico-gallicana, pro die Natalis Domini, reperitur quoad substantiam. Verum illæ orationes ablutionibus supra expositis primitus non applicabantur.

53^o *Communio*. Sic vocatur antiphona quæ olim inter versus psalmi qui tempore communionis fidelium cantabatur, iterari solebat, usque dum celebrans signo indicaret dicendum esse *Gloria Patri*. Ita expresse statuunt vel supponunt Ordines Romani a secundo sæculo usque ad sextum. Hæc consuetudo adhuc vigeat in undecimo sæculo, quando scriptus est Micrologus. Sed paulo post factum est ut sola antiphona post communionem in gratiarum actionem cantaretur. Additur oratio apud nos vocata Postcommunio, quæ in veteribus Sacramentariis inscribitur *ad complendam*, quia ultima dicitur, et postea Missale plicatur.

54^o *Ite, missa est*. Missa finita, celebrans ultima vice salutatur populum per *Dominus vobiscum*; deinde ipse vel diaconus alta voce annuntiat missam esse finitam, dicendo *Ite, missa est*.

Hic modus dimittendi populum est antiquissimus: voces *Ite, missa est*, leguntur in primo Ordine Romano, qui est saltem nono sæculo anterior, et ætatem Gregorii Magni sapit, inquit *Mabillon* in Admonitione et aliis in sequentibus. A Sabbato Sancto ad sabbatum proxime sequens, propter solemnitatem Paschæ, post *Ite, missa est*, duo adduntur *alleluia*, secundum ritum Romanum, quibus a populo, vel a ministro, nomine populi, respondetur, *Deo gratias, alleluia, alleluia*.

Ab undecimo sæculo cœptum est dicere *Benedicamus Domino*, loco *Ite, missa est*, in missis serialibus, tempore Quadragesimæ; deinde in omnibus missis in quibus hymnus angelicus, *Gloria in excelsis Deo*, non erat dicendus; quia dimissio populi per *Ite, missa est*, iudicabatur solemnem et missis serialibus non congruens: Micrologus, anno 1090 scriptus, primus hanc tradit regulam.

Apud Græcos dicitur *Ite in pace*, vel *In pace procedamus*.

Quoniam post missam defunctorum solemniter celebratam aliud communiter sequitur officium, vel sepultura, vel absolutio, populus non dimittitur, et ideo non dicitur *Ite, missa est*, sed *Requiescant in pace*, et respondetur *Amen*.

Propter eandem rationem in prima missa Nativitatis Domini olim non dicebatur *Ite, missa est*, sed *Benedicamus Domino*, quia sequuntur Laudes. Ita Micrologus. In plerisque Galliarum ecclesiis incipiuntur Laudes antequam missa terminetur, et post earum conclusionem, dimittitur populus per *Ite, missa est*.

55° *Placeat*. In nono sæculo verba *Ite, missa est*, dicebantur absolutio, id est, finis missæ; nihil enim addebatur: populus respondebat *Deo gratias*, et discedebat. Oratio *Placeat* in multis invenitur Sacramentariis noni sæculi et posterioribus; verum ad missam non pertinebat. « Finitis » omnibus, osculatur altare sacerdos, dicens: *Placeat tibi, » sancta Trinitas*. Deinde sacris vestibus se exuens, etc., » ait Micrologus, cap. 22. Habebatur ergo ut privata sacerdotis oratio.

Notatur in Ordine Romano XIV, et in Missali Romano sub S. Pio V reformato præscribitur ut pars missæ: saltem ab eo tempore ad missam pertinet.

56° *Benedictio*. Olim ab episcopo celebrante sollemnis dabatur benedictio post Orationem Dominicam, ante communionem, et statim dimittebantur fideles qui non erant communicaturi, juxta hæc verba ad exorcistas ordinandos: *Oportet dicere populo ut qui non communicat, det locum*. Concilium Tolet. IV, an. 633, præscribit ut, « post » Orationem Dominicam, et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur. » In ritu Mozarabico et Gallicano benedictio episcopalis ante communionem dari consueverat, ut probat *Mabillon*, de Liturg. Gal. Hæc benedictio adhuc est usitata in pluribus Galliarum ecclesiis.

In Sacramentario S. Greg. reperitur benedictio unicuique missæ propria, similiter et in multis veteribus liturgiis: at illæ benedictiones sunt tantum orationes super populum recitandæ, similes ei quam in feriis quadragesimalibus ante *Benedicamus Domino* recitare solemus.

In primis Ordinibus Romanis legitur quod Papa vel episcopo, missa finita, ab altari descendente in presbyterium sive sacristiam, episcopi primum dicant, *Jube, domne,*

benedicere; resp. *Benedicat nos Dominus*; resp. *Amen*. Post episcopos, presbyteri; post presbyteros, monachi; deinde schola, etc., idem faciebant.

P. *Le Brun* probat simplices presbyteros hujusmodi benedictionem ante sæculum undecimum nunquam dedisse; sed eo tempore, ex canone concilii Aurelianensis, anni 511, male intellecto, credidisse se, in absentia episcopi, populum benedicere posse.

Micrologus autem contendit, cap. 21, presbyteros a tali benedictione non esse prohibendos, imo eam, absente episcopo, omittere non posse sine gravi scandalo. Eam tamen non impertiuntur in ecclesiis Lugdunensi, Augustodunensi, Lingonensi, Senonensi, Trecenti, Vesuntina, Virodunensi, Remensi, Suessionensi, etc., juxta P. *Le Brun*; eam pariter omittunt Carthusiani in propriis ecclesiis celebrantes: secus, si in aliis ecclesiis celebrent.

Communior tamen est consuetudo populum in fine missæ sic benedicendi, et ubi recepta est, ab illa recedere non licet. Olim ante orationem *Placeat* fiebat, et usque ad medium sæculi decimi sexti tria formabantur signa crucis: sed Pius V, in Missali Romano, anni 1587, usum ter benedicendi in missis privatis abrogavit, et Clemens VIII illum penitus exstinxit respectu presbyterorum, et solis episcopis reservavit ad majorem missæ episcopalis dignitatem.

Forma etiam est diversa: presbyteri simpliciter dicunt: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater*, etc.; episcopi vero dicunt: *Sit nomen Domini benedictum*, etc. *Adjutorium*, etc. deinde *Benedicat vos*, etc.

Hæc benedictio in missis defunctorum omittitur, quia est quid solemne.

Sacerdos coram episcopo celebrans, antequam in fine missæ benedicat, faciet episcopo profundam reverentiam, veluti facultatem postulans populo benedicendi: si vero episcopus assistens extra suam diœcesim esset, hæc omittetur reverentia. Cærem. episc., lib. 1, cap. 30, et *Ferraris*, vº *Benedictio*, art. 5, n. 42.

57° *Ultimum evangelium*. In decimo tertio sæculo, fi-

nita missa, non dicebatur evangelium, nisi ex devotione, ut patet ex Durando, dicente, l. 4, cap. 24, n. 5 : « Quidam volentes dicere, finita missa, evangelium » S. Joannis, vel aliud, imprimunt primo signum crucis » super altare et postea in fronte. » Multi sacerdotes illud secreto recitabant, se in cornu dextro altaris exuendo, vel ad sacristiam redeundo. Fideles illud ex devotione audire volentes, petierunt ut super se, vel saltem alta voce recitaretur, sicut in fine Baptismi recitari consueverat : semper enim evangelium istud venerati sunt, et in gravibus circumstantiis illud recitabant, vel a sacerdote super se recitari petebant. Non mirum ergo si quidam sacerdotes devotionem habuerint illud statim post missam dicendi, si hæc devotio ad alios et ad ipsos fideles transierit, et si tandem facta fuerit communis. Pius V, post medium decimi sæculi, ordinavit ut in fine missæ a sacerdotibus diceretur evangelium S. Joannis, quod antea non ex mandato dicebatur.

Non obstante hac S. Pontificis præscriptione, Cluniacenses, Cistercienses et Carthusiani ultimum in fine missæ non dicunt evangelium; Lugduni, Remis, Metis, in cathedrali Cenomanensi et in pluribus aliis ecclesiis, evangelium S. Joannis dicitur redeundo ab altari ad sacristiam; et si aliud dicendum sit, nempe diebus dominicis, feriis majoribus et vigiliis, ubi sit de aliquo sancto, dicitur in sacristia, juxta consuetudinem ante Constitutionem S. Pii V existentem.

Cæremoniale episc., l. 2, cap. 8, sub fine, statuit ut episcopus, in fine missæ, data benedictione, dicat *Dominus vobiscum, Initium sancti Evangelii*, etc., et prosequatur cundo ad locum ubi a principio accepit paramenta.

Cum evangelium S. Joannis recitaretur memoriter, mos fuit et perseveravit signandi altare, loco libri evangeliorum, vel tabellam in qua scriptum est : ideo igitur osculum primorum ejus verborum omittitur in fine.

ARTICULUS QUARTUS.

DE VARIIS MISSARUM SPECIEBUS.

Breves exponemus notiones de missis : 1° majoribus et minoribus; 2° publicis et privatis; 3° præsanctificationum; 4° siccis; 5° de tempore; 6° de sanctis; 7° votivis; 8° defunctorum; 9° de sponsalibus; 10° coram SS. Sacramento.

§ I. — Missæ majores et minores.

1° Missa *major* in genere (*messe haute*) ea est quæ cum cantu celebratur. Si celebretur, ministris et clero assistentibus ac functiones ordinum suorum exercentibus, vel, his deficientibus, saltem cum quodam apparatu ornamentorum et cæremoniarum in rubricis descriptarum, quales sunt incensationes, dicitur solemniter; secus, dicitur simpliciter *major* seu *cantata*. Missa *minor* (*messe basse*) ea est quæ celebratur sine cantu et absque cæremoniarum apparatu. Si quandoque nonnullæ solennes fiant cæremoniæ in missa non cantata, v. g., incensationes, id ex speciali sit consuetudine, ut in quibusdam monasteriis, et non ideo missa est major proprie dicta.

2° Ad missam *majorem* ordinarie revocatur missa parochialis, quæ cantatur, ad quam fideles convocantur, in qua publice fiunt preces, indicantur festa et jejunia, publicantur matrimonia, docetur populus. Quandoque est sollemnis; sæpe est simpliciter cantata, quia desunt circumstantiæ ad solemnitatem requisitæ.

Diximus, *ordinarie*; quia hæc missa in quibusdam locis celebratur sine cantu, et tunc ad missam minorem pertinet.

Idem dicendum de missis conventualibus et capitularibus.

§ II. — De missa publica et privata.

1° Missa publica ea est ad quam concursus populi admittitur : per oppositionem, missa *privata* ea dicitur ad quam talis non admittitur concursus. Unde, missa publica cum missa solenni confundi non potest, nec eum